

quod Magisterium Succini vocant, comparare liceret; Sed nullum ex istiusmodi operatione emolumentum expectandum, nam præter temporis dispendium, ignis & spiritus vini jacturam, magisterium hoc nihil singulare obtinet præ Succino solummodo super porphyrite contrito.

Schroederus Magisterium Succini proponit, quod præparat id in Aceto stillatitio dissolvendo, dissolutionem filtrando, Acetum per distillationem abstrahendo, demum subsidentiam in aqua rosacea dissolvendo; dissolutionem filtrando, aquam rosaceam educendo, residuum demum in recenti aqua rosacea diluens, filtratione & educatione aquæ iter repetita, ac tandem præcipitatione ultimæ dissolutionis per spiritum vini facta, vel succum citri præstantique hydroticum esse asserit, datum à sex ad duodecim grana in febribus Malignis & Pleuritide; Sed cum Acidum quod Aceto inest, & præcipitantibus adhibitis, Succini naturam immutent, vix in eam opinionem adducor ut hoc magisterio expectari effectus proditurus sint.

CAPVT XXXVI.

De Distillatione Succini.

Succini Distillatio omnium simplicissima & maxime usitata hæc est, Retortæ vitreæ indantur Succini confracti quantum satis ut tertia pars impleatur, intrataque pauca arena fundo capsulæ dimensæ, impositæ idoneæ fornaci, Retorta ibi locanda est, qua arena rite in ambitu & omnino cooperto, præter illius collum admotoq; illius rostro magno Recipiente probe luto obducto, ac capsula cooperta tegmine concamerato, illudzquato, accendendus ignis in Fornace, ea ratione regendus ut cum Succinum liquefactum fuerit nequaquam fervere, id queat, neque in Recepiaculum per Retortæ rostrum exstillare, sed phlegma tantum paulatim emittere, demum Sal volatile & Oleum; hoc autem primo limpidum proditurum est, subsequens vero magis ac magis coloratius, adeo ut postremum ad colorem fuscum accedat, imo crassissimum.

Distillatio hæc diu protrahitur, imo viginti quatuor horas transgredi debet, si res successum habitura est: Neque etiam necesse est admodum urgere ignem, imo nec in progressu ac circa distillationis finem, nam præterquam quod materiæ exituræ non admodum graves sunt, ab igne autem vehementiori alteratio insignis illis indueretur, Id quod